PRÆFATIO
AD BENEVOLVM
LECTOREM.

COgitanti mihi perſæpè quid cauſſæ eßet, quod retrò tot actis ſæculis, problematis de quadrando circulo, quam nunc inueſtigamus, ſolutio, à tot magnis præclariſque viris nequidquam tentata, necdum expedita ſit, facemque ipſo præferente Archimede, nihilominus ſuis adhuc tenebris inuoluta permanſerit; illud præcipuè occurrit, lumen quod ab antiquis nobis tradita Geometria exhibebat, nimis debile eſſe, quàm vt tam intricatæ rei peruestigandæ ſufficeret. Id ſanè præterquam quod aſtruerent tantorum virorum, quot hactenus Geometria eduxit, indefatigabiles quidem, vani tamen labores, Archimedæa certè Spiralis, & Pappi Quadratrix idipſum euincere mihi viſa ſunt. Vt quid enim deſertâ Geometriæ tritâ ſemitâ, aliam ipſi planè viam ingrederentur viri in Geometricis acutiſſimi, ſi hâc quæ omnibus patet, quæque omnium veſtigiis teritur, ad optatum finem duci ſe poſſe exſtimaſſent? Adde quod à præclaris hoc æuo viris factum video, vt, dum ad idem problema ſoluendum ſe accingunt, veteri relictâ, nouam ſibi Geometriæ formam effinxerint, & per præruptos calles quos ſuo ſibi marte aperuerunt, eniti eò conati ſint, quò alios tendere quidem ſemper, numquam tamen peruenturos videbant. Hæc mihi ſeriò conſideranti, idem profectò in mentem venit aggredi, quod ab aliis ſummâ cum laude videbam attentatum: illudque Poëtæ præſertim animos dabat:

Eſſe aliquò prodire tenus, ſi non datur vltra.

Ad nouas itaque artes, nouaque inuenta animos ſtudiaque conuerti, nihilque non tentatum reliqui, donec non prodiiſſe tantùm penetraſſeque hunc montem aliquouſque, ſed metas ipſas (abſit verbo inuidia) attigiſſe nobis viſi ſumus.

Atque vt aliquam hîc itinerum meorum rationem, ambageſque quas, dum in incertum erro, percurri aperiam, primò Archimedis exemplo inductus, difficultatem hanc in aliam haud paullò difficiliorem, Spiralis inquam contingentẽ, conieci. quod dum ago, impenſiuſque diu Spiralis contemplationi inſiſto, admiroque quæ contingentem Spiralis inter & Circuli quadraturam ſit connexio, ecce tibi aliud plenè in mentem incidit, mira ſcilicet ſymbolizatio concordiaque Spiralis cum Parabolâ. quam dum proſequor, oſtendo Spiralem inuolutam eſſe Parabolam, & viciſſim Parabolam non niſi Spiralem eſſe euolutam. Romam, vt mox aperiam, poſtmodum euocatus, rem hanc cum P. Chriſtophoro Grienbergero, acutiſſimo ſanè in Mathematicis viro, totaque tum Italiâ celeberrimo, aliiſque contuli: à quibus cùm fortè rogarem, num ſymbolizatio hæc Archimedi fortaſſis nota occaſionem ſuggeſſiſſet Spiralem ad Circuli quadraturam tam admirabili artificio applicandi, non eiuſmodi eſſe inuentum affirmabant illi, quod ab Archimede, ſi ei innotuiſſet, vllo modo celandum fuiſſe crederent. Æquus Lector ſtatuet quid ſit de re, cùm ea quæ libro de Hyperbola ſubiunxi, peruoluerit. Hâc tamen cùm abſolui viâ problema poſſe diffiderem, à Spirali ad Quadratricem animum ſtudiumque conuerti: quam dum nouis efformo producoque modis, plurimaſque eius exhibeo proprietates, quæ ſolæ iuſtum librum conſtituere potuiſſent (conſtituiſſentque, niſi is qui ceteros ferè omnes labores meos, etiam hos abſtuliſſet caſus) ne hic quidem adiumenti ſatis reperio, quo tam arduum problema poſſim abſoluere. Inde igitur rurſus ad noua conſilia conuerſus, reperi tandem materiam eam quæ de corporibus agit, ab antiquis inchoatam, planè imperfectam in ipſis adhuc hærere incunabilis: neſcio tamen quæ meæ hac in parte

te